UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

De Vita Et Rebus Gestis Christophori Bernardi Episcopi Et Principis Monasteriensis Decas

Alpen, Johann von

Coesfeldiae, 1694

47. Batavorum ad ipsum litteræ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-68495

Visual Library

1664. timebatur non paucorum menſium, ſed plu-
rium annorum fore, velut brevi non redi-
rus, ſtatum patriæ, quantum potuit, circum-
ſpectè ordinavit. Morante per id temp-
Ordinato ſtatu Diœceſis. Romæ *Furſtenbergio*, Goſuinus Baro Dro-
ex Viſchering Conſiliarios inter, primas te-
nebat. Erat is in æde principe Burſar.
Canonicus Oſnabrugenſis & Veteris Eccle-
ſiæ divi Pauli Præpoſitus; ac multos jam an-
nos Epiſcopalis Cameræ Præſes. Huic
Concilio ſecretiori Principatum commenda-
vit, mihi verò, uti aliàs Diœceſin, Vica-
In Hungariam tendit. poteſtate. Rebus itaque domi compoſitis
ac parte comitatûs præmiſsâ, à ſalutata ſem-
nonas Julij Beatâ Virgine *Telgetanâ*, in *Au-*
ſtriam conceſſit. Feſtinato itinere antè finem
menſis *Viennam* intravit.

47. Sed dum in via eſt, properantem inſequun-
Batavorum ad ipſum litteræ. tur litteræ ab Ordinibus Batavis ſub Junium
exaratæ, *quibus poſtulant quindecies centena*
millia florenorum monetæ Belgicæ; in quam
ſummam, ex perceptis Borculoënſis Dynaſtiæ re-
ditibus, in Curia Gelriæ, ante annos quinqua-
ginta condemnata ſit Diœceſis Monaſterienſis: &
niſi tempeſtivè ſolvat, executionem comminan-
tur. Quanquam iſta poſtulatio cæteris om-
nibus Principi viſa eſt periculoſior, quod cum
eam ſcirent pecuniæ vim à Monaſterienſibus
non poſſe corrogari, prompta ſemper futu-
ra ſit armatis occaſio, & exigendi argentum,
& pa-

& patriam invadendi. Diſſimulato tamen metu rebus tunc Hungaricis intendebat. 1664.

48. *Suppetiæ Confœderatorum in Hungaria.*

Ludovicus Decimus-quartus Franciæ Monarcha, qui caput erat Confœderationis *Francofurtanæ*, dum *Leopoldus* Imperator ab Orbe Chriſtiano opem implorat, rogatu ſociorum Principum ſexies mille armatos, ſelectum militem laboranti Hungariæ ſubmiſerat, *Collignio* Ductore. Electores ac Principes Confœderati obtulerant ſeptem millia veteranorum, quos Wolffgangus Julius Comes de *Hohenlo* in *Hungariam* duxerat. Imperiali militiæ præerant *Badenſis* Marchio & *Waldeckius* Comes, Cæſareanis *Montecuculius* imperabat.

Expeditio Seriny & Hohenloj.

Jam Comites *Serinius* & *Hohenlojus*, poſtquam *Chriſtophorum Bernardum* hyeme præterlapsâ conſuluerant Ratisbonæ, *Eſſekianum* Dravo amni impoſitum, tanti momenti pontem lacerârant; *Quinque-Eccleſias* igne ſuccenſas everterant; incineratis tot pagis, oppidisque, variis etiam arcibus occupatis, captisque & in ſervitutem pertractis magno numero Turcis, ingentem hoſti cladem intulerant. Et jam obſeſſæ etiam *Caniſiæ* potiti fuiſſent, niſi improviſos maturiùs ſolitò deſeruiſſet brumalis aura, & reparato tumultuariè ponte *Eſſekiano*, opinione celeriùs ſuperveniens Magnus *Vezirius* obſeſſos liberâſſet.

Obſidio Caniſiæ ſolvitur.